QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 2. Martij.
M. FRANCISCO PIJART
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ex animi pathematis sanitas?

I.

HOMINEM omnium animalium præstantissimum creavit Deus, ut à stupendâ ferè & nobili compage jus obtineret in cætera: ideò ex duabus partibus coalescit: Corpore, quod vitæ excellentioris munia perbellè exercet tùm maximè, cùm vasorum succi & humores sunt ὁμόχροοι: Animâ, cujus ope intelligit, discurrit, sapit: tàm necessario nexis vinculo, ut perfecta sit utriusque functionum reciprocatio; hujus conjunctionis modus, per se licet obscurissimus, utcunque tamen depingi potest; nihil enim aliud est quàm intima utriusque substantiæ concordia naturæ legibus stabilita; quâ, moto certâ ratione corpore, mens identidem ad aliquid cogitandum adducitur; & quâ, mente pariter agitatâ, corpus sollicitatur ad opus solâ motione definiendum, cujus exercendæ duntaxat est capax, ut & illa cogitationis. Movetur Corpus musculis nervorum ope spirituum copiâ turgentibus, quos cerebrum cudit ex puriore & meliore sanguine, arterioso putà, tùm secreto tùm etiam immutato; quosque condidit tanquam satellites & nuncios quid rerum foris & intrinsecus agatur sine fuco relaturos. Si objectum sensum aliquem feriat, illius speciem ab illis ad

cognitionis ſolium delatam Anima tunc examinat, inveſtigatura an, quod exhibet, nocere valeat, vel prodeſſe: prout verò vel jucundum vel moleſtum apparet, aut Gaudio, aut Triſtitiâ afficitur; admovetque Corpus ut illud perſequatur, ſi jucundum; removet verò ſi moleſtum fuerit: varioſque exinde ſuſcitat Affectus.

II.

NON quælibet objecti apprehenſio Affectûs, ſeu παθήματος nomine indigitari debet, nec perpetuò jucundus ſenſus ex roſæ aſpectu erit Gaudium. Variæ ſunt functiones Animæ; alias de ſuo ſinu promit, quæ vel in Animâ ipsâ peraguntur, vel in Corpus manant; alias non niſi per ſpecies obit, quarum ſcilicet cauſa eſt Corpus: ex his quædam fiunt ſine nervorum ſocietate, velut quas per aliquod tempus ſervatas memoria iterum cogitationi objicit: quædam verò pendent ab ipſis; quarum nonnullæ vel ad objecta externa referendæ ſunt, ut quæ ſenſuum ope cognoſcimus; vel ad varias Corporis partes, è quarum numero ſunt doloris, caloris, frigoris ſenſus, in hoc illove corporis membro oriundus, fames etiam & ſitis: vel demùm ad animam; quod fit cùm Amore, Odio, Deſiderio, aut quovis alio Pathemate cietur. Quamvis illæ omnes Animæ affectiones, quarum cauſa eſt corpus, Animi affectus audire poſſent latè ſumpto affectûs nomine; attamen ſi preſsè id nominis accipiatur, ſolùm illæ perceptiones intelligendæ ſunt, quæ à nervis profectæ ad Animam referuntur; hâc potiſſimum de causâ, quòd ex objecto aliquo ſenſili cognito tàm violentâ commotione concutiatur, ut inſignis inde ſequatur totius Corporis immutatio, modò interna tantùm, modò etiam externa.

III.

NON omnes ex æquo corporis partes afficit Animi Perturbatio; cerebrum primò, ſed leviùs; dein cor ſed vehementiùs; non intactis cæteris viſceribus. Urente Amore, quo tota mens magis eſt ubi amat quàm ubi animat, pulſus quidem æqualis eſt, ſed ſolitò major & robuſtior; blandus ſentitur in pectore calor; ciborum concoctio celeriùs perficitur. Odium pulſum reddit inæqualem & minorem, ſæpè citatiorem; in quo frigus neſcio cui calori acri & pungenti permixtum torquet pectus; ceſſat ab officio ſtomachus; frequens ciborum re-

cens ingeſtorum vomitus, aut ſaltem eorum corruptio, & in pravos humores mutatio obſervatur. Gaudio pulſus æqualis & citatior, magnus tamen fit & robuſtus ut in Amore; calor quidam jucundus non pectus modò, ſed & cæteras corporis partes exteriores perfundit & recreat, ſanguine copioſo hûc confluente; interdùm extinguitur fames, nec tàm benè χύλωσις abſolvitur. Per Triſtitiam debilis & lentus arteriæ motus; in eâ cor veluti comprimunt vincula quædam, inde frigus per univerſam corporis ὁλομελίην; nonnunquam ventriculus latrat, eò quòd bellè fieri coctio non deſinat. Deſiderium hoc peculiare præ ſe fert, quòd cæteris Affectibus vehementiùs multò corpus moveat, copioſioreſque ſpiritus ad cerebrum mittat: ſenſus inde acutiores, omneſque corporis partes ad motum quemlibet expeditiores.

IV.

MOTIONUM à quâlibet Perturbatione profectarum causa proxima ſpiritus eſt, ſed variâ planè & diſſimili ratione; modò explicatus, modò contractus, hûc illûcve fulguris inſtar vibratus, moxque revocatus; idque vel ſubſultorio, vel leni & ſedato motu: ac quemadmodum furentibus ventis, itidemque maris undis varias in partes diſtractis, quæ tùm innatant corpora perturbata impelluntur; pariter & ſpiritus ſic Affectibus agitati humores primùm in ſimilem motum rapiunt, particulas, quas alluere debent, poſtmodùm impulſuros. Irritatus Amore ſpiritus ad præcordia, ventriculum & inteſtina per nervos lapſus, alacrior chyli ἀνάδοσιν promovet, ex quo uberiore, ſanguis craſſior & ideò calidior elaboratur; inde novi ſpiritus geniti craſſiores pariter & agitatiores ideam jam cerebro impreſſam fovent. Odio, chyli meatus obducti, reſerati lien & κύστις, humori contento mox fluxuro, liberum iter aperientes ſanguinem dant & ſubſtantiâ & motu diſſimilem. Lætitiâ non tam lienis, hepatis, ventriculi, & inteſtinorum nervi moventur, quàm qui per reliquum corpus ſparſi ſanguinem ad cor impellunt, cujus orificia quoque laxoria quàm antè, illum facilè admittunt; ubi jam diù ebullierit, nullo negotio rareſit, abitque in ſpiritus ſubtiles & æquales, quibus ad cerebrum perductis Anima geſtit hilaris. Triſtitiâ ſanguis frigidior lentè ad cor quaſi vinculis conſtrictum accedit; intereà πυλω-

ρὸς, & venæ chylum excipientes manent apertæ. Desiderio spiritus promptè ruunt ad partes, quarum compressione sanguis largior ad cor appellit, quod sanguinem sibi creditum copiosiorem reddet, novos spiritus in omnia sensuum organa, & musculos obtinendo voto destinatos suffecturum.

V.

CUR funera hominum magis & frequentiùs quàm cæterarum animantium densantur? Scilicet Animi motibus totos se tradunt. Cur stulti tàm longævi? Vitam sine curis degunt, quippe caudices, stipites, asini. Omnis Animi motio, cum ad extremum pervenit, naturæ, quæ ἰσότης est, per se inimica; Spem exceperis, cui nimiùm indulgere nemo potest; illa, quos cæteræ detrahunt, dies apponit; ut sapienter omnibus è pixide suâ evolatis vitæ commodis, hoc ultimum Pandora retinuerit. Quilibet alius Animi Affectus, cùm intemperans est, brevi vitam conficit, quam medicinæ legibus castigatus, & à jucundis potiùs quàm à molestis rebus excitatus diu multùmque fovebit: nascitur inde humorum temperies perfecta & laudabilis, quam, ut Vara Vibiam, sequitur Sanitas. Sanguis Lætitiâ æstuans nimis & copiosus emendabitur Tristitiâ succedente, in quâ sanguis lentus, piger, & paucus est. Iræ ignis furens Metûs frigore mitigabitur, & vice versâ. si fortè aliquis Affectus contumax ægrè alteri cedat, Anima ipsa sapiens & Regina componere rebellem valebit & moderari, quam Deus ideò altâ fundavit in arce mandatricem operum prospecturamque labori. Procul hinc itaque stipites, quorum hebetes ita sunt & plumbei sensus, ut nullis unquam tangantur Affectibus; quoniam ipsorum accessu moderato non solùm Anima viget, sed corpus vegetius fit, temperiemve debitam lucratur.

Ergo ex animi pathematis sanitas.

Proponebat Lutetiæ RENATUS CHAUVEL, Cenomanensis. A.R.S.H. MDCLXXIII.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Typographi, viâ Citharæ.